





1785  
IOACHIMI SCHWARZKOPE

DANNENBERGA - HANNOVERANI

COMMENTATIO 1785/11

DE

# FVNDAMENTO SVCCESIONIS

AB INTESTATO

EX IVRE ROMANO

ANTIQVO ET NOVO

---

QVAE

IN CONCERTATIONE

CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGUSTAE

IV IVNII CICICLXXXV

IUDICE

ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE

PROXIME VICTRICI ACCESSIT.



---

*Amant alterna Camenat.*

---

GOETTINGAE

LITTERIS IOANN. HENR. SCHVLZII

ACADEM. TYPOGR.

JOACHIMI SCHMIDINGER  
BASILIENSIS - HANOVERIANI

CO MIMENTATIO  
DE  
FUNDAMENTO SUCCESSIONIS  
AD INTESTATIONE  
EX IURE ROMANO  
ANTICHO ET NOVO  
IN CONCERTATIONE  
CIVILIA  
ACADEMIE GEORGIE MAGISTER  
IAIANI JOSEPHII XXXX  
IADIGE  
ILLISTRATI VARCENATIORUM ORDINE  
PROXIME VICTRICI ACCESSIT.

Younger brother of

GOTTLINGAE

ETTERI JOANNI HENRI SCHAEFFI

ACADEMICUS

DOMINOMISSIMO  
DOMINO IN PATRIO  
CAROLO RVDOLPHO  
AVGVSTO COMITI DE KIELMANSEGGE  
AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI MAGNAE  
BRITANNIAE REGIS  
DVCIS ET ELECTORIS BRVNSVICO - LVNEBURGICI  
IN CONSILIO SANCTIORI  
STATVS ADMINISTRO

JOAOEMAC SCHWABE  
DUINZINBERG - HANNOVERIANUS

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO  
PATRONO IN AETERNUM DEVENERANDO  
SE SVORVMQVE STVDIORVM PRIMITIAS  
EA QVA DECEPTE SUBMISSIONE  
DICAT OFFERT CONSECRAT.  
BRITANNIAE REIOR  
DACTS ET ELECTORIS HANSAICO - HANNOVERICO  
IN CONSISTO SANCTO  
STATAS ADMINISTRIO

IOACHIMVS SCHWARZKOPF  
DANNENBERGA - HANNOVERANVS.

**Q**uam sit inconcinnum, omissis principiis ac origine non repetienda rem pertractare, quantumque ergo antiquitatum historiaeque studium ad aperiendos legum fontes solidumque iuris intellectum conferat, tot unanimiter iam probatum est argumentis, ut curiosus de ea re hic exponere vanissimi operis esset. Neminem certe, leviter etiā iuris doctrinis imbutum, fugit tritum illud sermone: *Ignoratum ius vetus obscurat novum, intellectum dat lucem.* Nec quisquam Romanarum legum vim et potestatem rite intelliget, qui non antea variorum huius gentis institutorum adyta ingreditus, publicum rei Romanae statum variasque, quas subiit, vicissitudines perspectissimas habet. Primum merito in sacratissimo legum civilium templo locum obtinet nobilissima de legitima successione doctrina, qua in determinanda gentes mire se moribus distinguentes, vel hos vel illos praecepit vocaverunt. Varias in fundamento eius inquirendo Doctores amplectuntur sententias. Alii Mosaicis ex legibus exterisque a populis gentem omnia repetuisse, alii tandem iuris naturalis et sanguinis, optimi cuiuscunque legislationis principii, praesumptaeque defuncli voluntatis rationem habuisse, alii conservationi splendoris familiarium, vel iuri agnationis plurimum tribuisse, alii denique ad fictiones e patria potestate vel agnatorum condominio defunctas refugisse volunt. Nec Romana legislatio certo suo careat fundamento, licet ex temporum vicissitudinibus multas perpersa sit variationes. Sapienter ergo *Illustris Academiae Georgiae Augustae Ordo Iuridicus* partibus, thema publici certaminis capax eligendi, ab AVGUSTISSIMO REGE mandatis defunctus est, proponendo questionem: *Quod nam sit fundamentum successionis ab intellectu iure Romano antiquo? Quibus ex causis immutatum illud sit a iure Instinctivo?* Quam accurate ad perfractandam licet bene sim conscientis iuvens vires desse, indignum tamen iudicans tam praeclarum caput doctrinae pertractandi copiam omitendi, quicquid ex iis, quae vita academica iniungit, negotiis temporis supererat, resolutioni huius problematis dicavi.

**A** Answers as Antonyms I, II, III, IV, V

## SECTIO PRIMA.

QVODNAM SIT FUNDAMENTVM SVCCSSIONIS AB  
INTESTATO IVRE ROMANO ANTIQVO?

*Quid sibi ve-  
lint proble-  
matis verba?*

In fronte commentationis, ne illotis manibus pensum per-  
tractandum aggrediar, si explicatione verborum problematis per-  
fugor.

Iuris Antiqui nomine hic venire videntur iura ante Iustinianea, ergo et quae mediae iurisprudentiae interdum adscribuntur, leges singulares, edicta magistratum, senatus consulta, Principum constitutiones, et Prudentium responsa. Vnde quae ad Novum pertineant, facile colligitur. Successionis ius in utroque duplice ex causa defertur, ex causa testati vel intestati seu eius qui patrimonium nemini per expressam voluntatis declarationem reliquit. Dilabitur posterior iure ante Iustiniano in eam, quae inter ingenuos obtinuit, et eam, quae iure patronatus seu clientelari invenit, partim ex deficientis inter servos cognationis, partim ex liberti in patronum pietatis ratione delata est. De hac autem a) ex mente *Huiusmodi problematis Autorum* hoc logo non exponentum esse videntur, tum ob deficientem iusmodi disquisitionis hodierna in iurisprudentia usum, tum quia ob restitutas a Iustiniano ex Praetorum correctionibus decemvirales de ea sanctiones quaestionis posterior pars in eam non adaequate quadrat.

*S. II.*

*Quid statue-  
rint circa  
successionem  
I. leges regiae  
II. tabulae  
decemvirales*

Primit reipublicae incunabulis successionem ab intestato certis regulis vel lege vel consuetudine adstrictam eiusque gradus ex forma civitatis constitutos fuisse dubio vacuum est, licet circa modum ordinemque successionis, aequo ac circa suitatem heredum, b) multa reconditae vetustatis tenebris circumfundantur. Eo certior, quod ad verba saltem, est sancio tabulae quintae ex legibus XII, tabula-

rum,

- a) Plures de ea sanctiones exhibet *Pratius* in iurispr. veteri.  
b) Decemviris hanc tribuit *Galvanus* de *Vsufuctu L. VIII. C. 13*.

rum, unico tunc, ut Livius III, 34, ait, omnis Romani iustis cor-  
pore: *Aī si inicflatō moritur, cui SVs heres nec escit, agnatus pro-  
eximus familiam habeto. Si agnatus nec escit, gentilis familiam he-  
res nanebit.*

S. III

*Gentis* voce completebantur Romani universitatem civium in- *explicandae*  
genuorum capite non deminutorum, ab ingenuo, qui ipse civitatis *ratione*  
jura impetraverat, per masculos descendantium c). Abibat gens *argumenti*  
plures in *familias*, quarum quaevis ab ulteriori sūp̄ite, civis Roma- *A genera-*  
nifilio originem trahens variis ex *domibus* constabat, ex quibus una- *tim ex statu*  
quaque cives in eiusdem patria potestate constitutos completebantur *gentilitatis*.

Tria hinc dévoluta, quos tabula indicat, heredum genera. Domus Suos heredes seu eos comprehendebat, qui in morientis potestate ita constituti erant, ut tempore delatae hereditatis nemo eos antecederet d), vel tamen qui tunc temporis ediri, ita comprehensi suffissent e). Familiam efficiabant agniti in sensu stricto ita dicti, f) qui ex eadem domo eademque familia per patrem coniuncti erant. Inter gentiles denique seu omnes diversa ex familia sed eadem gente, omnium idem ius eademque conditio erat.

S. 950

<sup>21</sup> Prolixius ordinem succedendi hic exponere quamvis instituti B. speciatim ratio vett. aequali tamen utriusque sexus admissioni probandae finit. ex aequali ta utriusque

c) Definitionem in I. 195. §. 2. D. de Verb. Signif. inadaequatam esse explicat Ermit. Mag. *Chaldeum de gentilitate veterum Romanorum* C. §. 7, de dictimib; malibus inter et minores gentes fusius agens p. 127. Altum vocis significatum eruit Heinzeius antiquitat. Roman. ad L. I. App. §. 32.

d) Hisce verbis discriben Suos inter et suos heredes inesse demon-  
frat *Madinus* de success. civil. §. 264. Duplicem vocabuli notio-  
nem erit. Ex *Portugali* I. 1. 1. 1.

nem eruit. *F. Horvianus* L. IX. Observat. c. 150.  
Verba bacce, nonnullis ad interpretibus omnia; ob posthumorum comprehensionem necessaria esse adencia, plumbibus demon-  
strat. *Ranckius de Suecia*, ab intest. c. 2. n. 7.

Generalior sensus omnes defuncto per viriles sexus personas co-  
agulatione conjunctis comprehendit; introrsus et Suos heredes hoc  
nomine venire annotat Ge. Chr. Gehanor de inuocacione inter inge-  
nuos iure sangu. ab int. civ. C. I. Sect. 2. in notar.

*sexus admissus* ta quidem iam concertatione) animum advertere fert operae pretium, quandoquidem ex ea permulta infra deducemus principia.

Obstat videtur rusticorum incultorumque hominum conditio, qui foeminis contemptui expositis non nisi precarias possessiones concedere solent. An se res ubicunque g) ita habuerit; anne interdum sexus sedentaria sua ex vita demum imbecillioris sors deterior recensioris aevi artificiali splendorem familiarum tuendi studio tribuenda sit; an denique ob coeli, cultus et reip. formae disparitatem una a gente ad alteram rite hic argumentationes procedant, iam nostrum non est disquirere. Sed cum omnes in eo consentiamus, quod ad humanitatem iam eruditio mortalium generi promiscua sexum admissio egregie conveniat, in eo exponendo versabimur, tum quod decemvirali aetate ad mansuetudinem urbanitatemque ianiam informati nec ergo feroces solum milites fuerint Romani, tum quod muliebris autoritatis a primis reip. ephebis permulta extiterint indicia.

Instructa tunc temporis erat resp. institutis a perpolitarum gentium conditione haud alienis. Vrbs muris circumdata, Capitolio, circis, naumachis, foris, curiis, flatuis aeneis, splendidisque operibus ornata, moenium inviolata sanctitas; populus in centurias, tribus et ordines divisus; tributa et vestigialia normae cuidam adstricta, qua Germani adhuc ante Caroli V. tempora carebant; sua cuiilibet ordinis iura et magistratus adscripti, salva etiam facultas alterius conatus moderandi, ius patronatus ad utriusque conciliationem pluraque artificia ad aequilancium servandum exhibita; munera inter magistratus sapienter distributa; potestas legislatoria ab executiva separata, comitia, tributa, et militia per censum stabilita; in tabernis litterarum ludi, h) pecunia signata, aerarium publicum, legiones compositae,

bel-

g) Aegyptii tanti semper foeminas habuere, ut hae illos ducere, illi hisce nubere dicti fuerint. *Montesquier de l'esprit des loix* L. VII. C. 17. *Vespucius Americanus* detegens utrumque sexum iuribus haud sibi dissimilem invenit. *Suarts View of Society in Europe Sect. 2.* p. 178 seqq. Nec apud omnes priscas Germaniae populos sexum discrinem adfuit. *Tacitus de morib. German.* c. 20. LL. *Longobard.* I. 45. LL. *Vuisgoth.* L. IV. T. 2. I. 1. 5. LL. *Baivar.* 114. I. 9 Edict. *Theoderici Regis*, c. 24. Chart. ap. *Marculf.* Form. L. II, C. 12.

h) *Livius* III. 44.

bella solenni semper indictione incopta, prudenter gesta nec unquam fere sine foedere finita, coloniarum deductio — quod haec de inhumanis barbarisque hominibus praedicari nequeant, ex comparatione alii cum gentibus instituta facilissime appetit. Non ergo sola patria, ut Germanis sylvarum incolis, sed et resp. Quiritibus iam in cives conversis fuit communis. Vnde inter barbaros et agrestes tot prudentia et eloquentia insignium virorum nomina, *Appi*, *Valerii*, *Agrippas*, *Iunii*, *Cortolani*, *Minucii*, *Virginii*, *Voleronis*, *Terentilli*, *Cincinnati*? Vnde ad incultam ordineque civili desitutam gentem leges scriptae? non iuris manuarii tollendi causa *latae*, quo Germania trecentis adhuc ante annis obruta erat, sed ad vestitum et viatum, fundorum possessionem et praescriptionem, disciplinam, et, ut uno fasce omnia complectar, ad compositae, non vero componendae, civitatis firmationem spectantes? quas omnium philosophorum bibliothecae instar habendas esse, quas autoritas pondere utilitatisque ubertate omnia superare *Cicero*<sup>i)</sup> docet? Multo magis sane cum *Taciti* Germanis claudicaret comparatio vel cum Israelitis, adeo tunc temporis rudibus, ut decalogus eos ius naturae doceret. Vnde ad russicos et immansuetos iuramenti fides inviolata, circumspectio in poenis infligendis, nec hisce solum pecuniaris sed et publicis, quarum Germani rarissime rationem habuere? k) Graeci infantes supplicio affecere et, tyranno occiso, quinque ex eius cognatione proximis necaverunt; Exulum numerus apud eos semper fuit infinitus. Iudei impune servum occiderunt, nisi post biduum moriatur. Romani nec insontem servum, nec infantem vel impuberem capitis damnaverunt, et in iniuste accusantes ideo gravissime investi sunt. Num agrestes illos nec ultra stivam regendam profectos vocares, qui Siciliam frumenti petendi causia adierunt? quos sub primo post Reges exactios consulatu Poeni ab urbibus condendis, a navigatione et mercatura ultra pulchrum promontorium non facienda binis foederibus arcuere? l) Scribendi ars adeo ergo inter illos profecta erat,

ut

i) de Oratore L. I. p. 193—195.

k) Montesquieu L. VI. C. 15.

l) Verba extant apud Polybium Histor. L. III. §. 22—24.

ut scripta foedera celebraverint, quorum inter Germanos *Verodunense* primum fuit. Utinam! ad nos pervenissent rerum tunc temporis gestarum Scriptores coaevi, quibus certe Roma non caruit; plurimum hisce omnibus inde lucis adfulgeret. Nec honor rei rusticae qui plerunque iam artes eruditio nemque supponit m) ab urbanitate alienos Quirites fuisse demonstrat, cum sexto adhuc reip. seculo in eam adeo incubuerint, ut *Attilii*, salutem publicam stabilientis, manus rustico opere fuerint attritae. Mirum sane fuisse post *Numae* et *Anci* sapientissimas temperationes, post vicissitudines quas subierat reipublicae forma, olim monarchica, mox aristocratica, et tribunis plebis creatis, in democraticam vergens, si semper in antiqua barbarie remansissent Romani, quibus ab Aegyptiis et Graecis luxu litterisque iam dudum perpolitis lucem sibi petere licuerat et quibuscum rem illis fuisse, ipsa decemvirorum legatio satis demonstrat.

Nec ipsa Romanorum indoles foeminas contentu affici sinit. Iam primas, et si non legitimate sibi quae siverint, uxores tam leniter habitas fuisse constat, ut patrios ad lares reverti fuerint designatae. Ob coniugum cum Samnitibus ab *Herilia* tam prospero eventu aciam reconciliationem donis cumulatae privilegiisque munitae sunt. In capitalibus ordinario a iudice exemptae; n) Festa Matronalia Bonae Deae dicata, quibus masculus se clam ingeneris capitatis poenam merebat, o) postulandi ius datum, quo *Afraniæ* improbitas demum eas privavit; famuli cuique constituti, quos et castigandi ius erat; epulæ cum iis celebratae et convivia; equestres statuae iis positiæ; aequæ ac masculis honos combustionis in Campo Martio imperitus; templo dedicata, quid quod? divinus interdum post mortem cultus redditus. Nonne haec omnia aequalē earum cum masculis sortem fuisse comprobant? Servas sane non passus fuisse Porsenna obsides sibi dari, nec Cloelia vitae periculo domum repetiisset, ubi servilis ei esset conditio. Non servae sed omnium humorum divinorumque sociae, *Attiliae* suae, a rustico opere avocatum *Cincinnatum* valedixisse, sermo eius docet. Prosperiori interdum suc-

cef-

m) *Montesquieu L. XVIII. c. 15.*n) *John Alexander history of Women P. II. p. 104. 139.*o) *Plutarcb in Iul. Caesar. p. 711. 712.*

cessu foeminas negotia peregisse, *Veturiae Volumniaeque exemplum demonstrat.* Adeo denique earum processit autoritas, ut ad ipsum Diis sacra faciendi munus, alias inter gentes solis fere masculis sacrum admissae fuerint. Sacerdotum uxores ex *Romuli* instituto cum suis maritis sacerdotio fungebantur, missarum sacra utriusque sexus tolerabant consortia; praeципue vero Vestalium a legibus solutarum praerogativa*e*, ius iniurias fibi illatas morte vindicandi capitisque reos poena eximendi, muliebris sexus dilucide probant autoritatem.

A magistratibus, comitiis et foro exclusio, aequa ac inter Germanos, non ex contemtu sed mera sexus imbecillitate, tutela vero et cura earum ex rerum forensium ignorantia est repetenda. Mutuo sibi eas dari, polypaediae studio permisum fuit, et a testamentis*a* aequa ac filiosfamilias testamentorum forma prohibuit p). Quod vero filiam praeterire licuerit, non filium, ex iure gentilitatis proficiscitur, quod, cognatis exclusis, nepotibus ex filio maxime favit (§. XIV) Intra domum levibus officiis affixas et a negotiatione cum masculis alienas quod foeminas tenuerint Romani, Zelotypiae tribuendum, quae nostra adhuc aetate Italis adhaerens, coelo adstrita esse videtur. Hinc accumbentes gremio impositas et veluti in se reclinatas habuerunt; hinc decennes nuptiū dedere, ut mores castos incorruptosque ad sponsum deferant q) Eadem et Turcarum foeminas omni a negotiatione socialique iure quin, ipso ab aere arceratio, nec tamen, quantum precariae omnium possessioni convenit, peculii expertes. Nec in manum conventionis servilem designat conditionem. Primigeniae fortasse reip. formae convenientem Decemviri tum idoneas veteribus leges substituendi imbecillitate, tum coeco antiqui studio, quod excultissima deum rerum notitia exsirpare valet, ritus instar paterni servarunt. Omnes omnino gentes nuptias suas festivitate solenni exorsae sunt; ita et confarreationem Romani ut modum divina humanaque omnia communia faciendi adhibuere r), nec in nuptiis solum sed etiam emancipatione, adoptione, manumissione et testamentis*a* imarginaria emtione usi sunt. Praeterera ipsi ritui tot aequalitatis ex-

B 2

dis

p) Hieron. *Oroz*, de apicib. iur. civil. L. V. C. 6.

q) Plutarch, in Numa p. 135.

r) I. I. D. de rit. nupt. L. 4 C, de crim. expilat, heredit.

Etissime insunt symbola, ut uxor rursus maritum ipsa coemerit s). Diversa in manum conventae innuptaeque conditio iuri gentilitio debetur, quod illas in manum conventione nativae genti iam eretas ad familiam herciscundam vocari prohibuit. Nec tamen, polyphaediae cura omissa, iniquum est, iis, quibus iam prospectum, exclusis, egentium tantum rationem habere. Ad eas vero, quae usu nuptias celebraverant, non pertinet differentia, quas et Montesquieus indicare videtur, uxoribus Romanis bona a mariti rationibus separata tribuens.

Quod decemviralis tabula expresse foeminarum mentionem non fecerit, cum tamen nec diserte eas excluderit, brevitas studio tota in legislatione ea mente est factum, ut quisque ac carmen necessarium discat t). Multa in eam non translata nihilominus usu valuerunt, et foeminarum, quatenus familiae partem facerent, aequa ac liborum successio, civitatis generi gentiumque iuribus adeo iam convenit, ut utramque silentio praeterientes Decemviri ambiguitatem hic certe non praecaverint. Legibus regiis praeter decemvirales etiam adhuc servatis, u) tota sanctio successoria, ex reip. forma quasi profluens fere fuisse omessa, nisi ad patriciorum plebisque altercationes decidendas necessariam existimatessent Decemviri. Accedit linguae *idioma* masculina sub voce et foeminas comprehendentis, tum expresse v) tum tacite a Iustiniano, licet verborum copia plerumque ostentante, saepius agnatum.

Lautissime et eo foeminarum admissio comprobatur, quod neque in regiis neque Decemvirorum legibus *dotti* indicium exstet, quam tamen nec ulli genti masculis magis faventi ignorantia fuisse constat. Germani, w) Armenii et Hebrei x) Lacedaemonii y), Athenienses z) successioni muliebri dotes substituerunt; quid Romani furgo.

s) Heiniccius ad I. Iul. Pap. Poppaeam L. II. C. 13. p. 155.

t) Cicero de legibus L. II.

u) Livius VI. 1.

v) I. 62 de Legat. III. I. 1. de Verb. Signif.

w) Tacitus de morib. German. c. II. Iu. Pet. a Ludewig de dote matri p. 22. seqq.

x) Genesis XXXIV. 12. Exodi. XXII.

y) Iustinius III. 3.

z) Iustini Orat. IX. p. 560.

surrogaverint, aequa ac de alendi viduas orbasve obligatione nihil constat; turpiter ergo omni vita praefidio destitutae degissent. Nec ergo, quod a Graecis huc afferit, Perizonii argumentum satis validum esse videtur. Praeter ea, quae ex moribus, religione et forma reip. proficiscebantur, inter utramque gentem discrimina in ipsis mulierum *moribus* ratio differentiae sita est. Graecorum mulieres a primis reip. incunabulis in omni luxuriei, fastus et pravitatis genere adeo versatae sunt, ut magistratibus ad mores earum moderandos opus fuerit, et recentiore demum aeo integratatis castitatisque rationem habuerunt. Romanæ vero matronæ anxia semper cura honestatem et pudicitiam custodiverunt, cuius servanda grata scurrilitate sermonis, iis praesentibus, temperatum, vino iis interdiū, gravissima adulterii poena et tribunal domesticum constituta sunt. Quis *Lucretiae* castimoniam, quam et hodie specimen instar matronis recitare solemus, quis *Virginii* facinus ignoret, qui filiam, *Claudii* libidini erupturus, ipse percutere non dubitavit? Nec ergo mirum, integra et si divertii foeminae aequa ac maiusculis fuerit facultas, primum eius exemplum ob uxoris cuiusdam stilitatem DXX anno post V. C. demum contigisse.

Inutilem sane, si foeminae peculia expertes fuissent, existimat verim donationum inter coniuges moribus introductam prohibitio nem, nec eum ad luxum pervenire potuissent, cuius causa leges Fannia, Licinia, Oppia et *Voconia*, quam tamen sententiae nostræ haud adversariam esse infra (§. XVII.) exponet, multaque aliae latae sunt. Inepta mihi videtur lex ab intestati hereditate foeminas arcens, quae tamen testamentis ditari finat; quam quidem capienti facultatem salvam iis fuisse, tabulae decemvirales et lex *Voconia* fidem faciunt. Optime denique foeminarum libertati et admissioni respondet monogamia, cuius, nisi cuivis uxori suum reliquistent, non tantus Romanis sobolis procreandæ alias studiosissimis honor fuisse. Quod et ipsum eruditioñis indicium esse, *Tacitus* probat, solos barbarorum Germanos singulis uxoribus contentos fuisse deli genter annotans. Ex historicis etiam argumentis constat, polygamiam semper secum trahere sexus sequioris servitatem.

Hisce qualiacunque sint, pro foeminarum decemvirali successione argumentis, quibus convenientiam cum iure gentilitatis (§.

X—XVII,) ultimo loco adiungam, coronidis loco accedit unanime omnium aa) tam Historicorum quam Iureconsultorum, uno quasi ore eam profitentium, quid quod? ipsius *Iustiniani* bb) testimonium. Quod, et si omni destituantur analogia, solum iam sufficere crediderim. Quo enim abiret omnis historica fides, si ex ideis arbitrarie assumitis vel hodierno rerum statu gentis priscae conditionem singentes, quaecunque coniecturis repugnant, tanquam simulata reiceremus? Nec omnibus certis monumentis caruisse verosimile est. Quamvis enim Galli omnia fere incendio absumserint, deleta tamen inox ex civium recordatione restituerunt Romani, eruptaque solerissime collegerunt. Cum etiam plurimi eorum candem et si aliam in formam translatam viderint remp., accuratius certe, quam nobis serie seculorum peracta licet, eius primitis potuerunt diuidicare. Minorem potius fidem habere *Dionysio* caeterisque eorum *Graecis*, si domesticis opinionibus fucati ex suae reip. forma Romanam emensi fuissent. Nunc autem discrimine inter utramque distincte tradito, nisi dolosae fictionis accusare mavis, merito colligitur, eos dilucidis ex monumentis Romanae rei statum habuisse comperatum.

## §. V.

*2. ratione fundamenti*: Quod successionis huius frustra cc) ex aequitate naturali et iure sanguinis ratio repetatur, primo obtutu quilibet perspicit. Iam alias in

aa) Praeter eos, quos *Wielingius* Left. Iur. civil. L. II. c. 23. excitavit autores, fidem eius faciunt. *Dionys. Halicarn.* L. II. c. 4, 26. *Cicer. in Verrem* I. 107. *Idem de Sene* C. XIV. *Macrobius* L. I. *Saturnal.* c. 10. *Gellius noctib. Attic.* XVIII. 6. *Columella de re rustica* L. XII. praef. c. 1. *Plinius prooem. histor. natur.* c. 23. *Modestinus* I. 1. D. de rit. nuptiar. l. 4. C. de crimin. expil. hered. *Vlpianus* T. XI. §. 13. T. XXII. §. 14, 29. *Paulus* L. 4. Sent. T. 8. §. 22 fin. (qui, uti ex comparatione cum eius l. ult. §. 1. D. de grad. apparel, generaliori cognatorum nomine *Agnatos* proprie indicat.)

bb) §. 3. I. de legit. agnat. tutel. l. 13, 14. C. de legitim. heredib. cc) *Perill de Pafendorf* Observ. iur. univerf. T. II. Obsf. 192. Acerrime pro ea contendit *Gaudenius* in exerc. de lege quae foeminas a successione repellit, c. X.

in partes dimoveret, nisi in controversia ageretur, Philosophorum A. quodnam  
quorundam dd) omnem, quin ipsam liberorum successionem ex iu- sit spuriis? re civili derivantium sententia. Sed et ipse succedendi ordo contra- a) aequitas  
rii argumenta subministrat. Non agnoscit natura suitatis, emanci- naturalis.  
nationis, capitis deminutionis, et in manum conventionis effectus. Naturales liberos adoptivis praeponit, et matrem inter et eos, qui viscerum eius quasi sunt partes, mutuam praecepit successionem; ignorat etiam patris et filii unitatem, quam soli dispositioni civili deberi, ipse Iustinianus faterur. Nec praesumta defuncti dilectio uxorem in manum non translatam excluderet. Imbecillibus interdum mutuus agnitorum amor rationibus nititur, et raro tam prope sum paterfamilias in nurum animum habet, ut propriorum liberorum numero nepotes ex ea accenserit velit; mallet forsitan spurious suos iis adiungere, quos plane Decemviri arcent.

## §. VI.

Nec ex *conservatione splendoris familiarum* ee) ratio sanctionis b) *conservatio*  
decemuiralis expedite eruitur. Praeter id, quod clientelaris successio *splendoris* *familiarum*,  
laxiorque adoptionum et arrogationum usus ab istiusmodi au- dio, solis Germanis fere proprio, longe alienos tunc temporis suisse  
Romanos doceat, aliud iam suadet patris fiduciarii successio et ae-  
qualis utriusque sexus admisso. Per foeminas enim facultates gen-  
te exeunt. Accedit amplissima de re sua pro lubitu disponendi po-  
tentia, ex iure publico Romano cuique patrifamilias competens,  
et, quae inde effluit, alienandi testandique facultas ex tabula: Pa-  
terfamilias uti legasset, ita ius esto: nullis cancellis inclusa, ita ut  
liberos praeterire et exheredare, alios instituere totumque patrimo-  
nium legis exhaustire licuerit. Nec ergo ex iure suitatis, ex quo  
eam

dd) de Montesquieu tr. cit. L. 26. c. 6. Gundling iur. natur. C. 20.  
§. 66. Ex naturali iure repetunt S. de Pufendorf de iur. nat. et  
gent. L. IV. C. 11. n. 2. seqq. Grotius de I. B. et P. L. II. c. VII. §. 3.  
ee) Fovent sententiam Heiniccius Element. iur. civil. sec. Ord. Insti-  
tut. L. III. T. I. §. 631. ibidemque Ill. Hoepfner im theoretisch-  
practischen Commentar. Corn. Wilb. de Rhoer Dissertat. de effectu  
religionis Christ. in Iurispr. Roman. Fosc. I. D. 4. §. 15. Goth. ad  
l. 4 C. Th. de legit. hered.

eam restrictam suisse quidam contendunt, nec ex filiorum testandi inhabilitate soli testamentorum formae debita, nec inde aliud colligere licet, quod in l. 120 de Verb. Sign. exheredationis mentione non fiat, quippe cum sub potestate heredis instituendi tacite comprehendatur.

## §. VII.

c) *condominium*

Nec agnatorum *condominium* ff) genuinam huius legis latitudo rationem praebere videtur. Inter condominos tempus delatae hereditatis non fuisse spectatum, cuius ex plororumque gg) sententia ratio habita fuit, et pater eos exheredandi facultate caruisset. Licit in §. 2. I. de hered. qualit. et differ. et in l. 1. §. 12. D. de success. Ed. patre mortuo, liberi, bonorum eius dominium quasi continuare et in l. 11. D. de lib. et poss. liberiorem eorum administrationem nancisci dicantur, omnia ista tamen illorum convicu et fictione quadam ad patriam potestatem coercendam adhibita nitit, ex ipsis verbis, quodammodo, exiliuntur, quasi, quibus leges haecce commenta designant, dilucide patet hh). Quae quidem fictio Suis heredibus ipso iure hereditatem paravit, coequo ipso verum agnatorum a Suis discrimen constituit ii). Ex Aristotele, cuius ad philosophiam *Bynkershoekius* refutat, nunquam principia petiere Decemviri. Nec *condominium* hisce legibus indigitari, probant l. 7.

§. 1.

ff) Stant pro sententia *Galvanus* de Vlustr. c. 8. §. 10 seqq. *Madinus* de success. civil. L. II. T. 14. §. 262. *Bynkershoek* Obs. L. II. C. x. de *Senkenberg* de testam. publ. c. 3. §. 3. *Exc. Fischer* im Verfuch der Geschichte der teutschen Erbfolge. B. x. P. 33-49. qui et maiorum nostrorum ex eo repetit successionem. *Schacher* in sp. histor. iur. civil. vicissitudin. succ. ab. int. ap. Roman. exponente. C. 3.

gg) *Luc. v. d. Poll.* de exhered. et praeterit. Rom. c. III. §. 4. *Vinnius* Comm. ad Inst. L. II. T. 19. §. 2. Tempus mortis spectatum esse credit *Faber* de error. pragmat. dec. 3. err. 1. nr. 12. hh) Docete hoc perlustravit *Jo. Pyrrhus* Tr. de fuitate et hereditate per fictionem transmittenda. §. 1. 2.

ii) *Alteferra* de fictionib. iuris. Tr. I. C. 12. p. 127. *Angelus Perusinus* de fuitate qu. 9. *Contius* Tr. de success. ab intestat. p. 98.

§. 1. D. Si tab. test. exst. et l. i. §. 8. D. de Suis et legit. heredib., ubi hereditas paterna suo heredi deferri, et §. 2. I. de hered. qualit. et different. ubi prima eius in intestati successione causa esse dicitur. Gaius in l. 196. D. de Verb. Signif. patrem principem familiae appellans, solius patriae potestatis et Julianus in l. 2. §. 1. D. pro hered. filio in bonis paternis naturalem possessionem tribuens, non nisi sacrorum communionis indicat rationem. Nec unquam de agnatis et gentilibus ne fictum quidem condominium praedicant leges, quamvis aequa ac filii successionis iure instruxerint, unde et totius sanctionis rationem sola ex patria potestate deducere non sufficit.

### §. VIII.

Multo minus, exteris a populis omnem succedendi rationem d) legislatio petuisse Decemviros legesque statui reip. non accommodatas simpli exterrarum citer adoptasse, ex civitatis tunc temporis forma, moribus, regiis gentium. que constitutionibus facile colligitur kk). Graecorum successionem in tabulas translatam esse, quidam ll) ob Decemvirorum in Graeciam missionem contendunt. Quamvis discriminem inter gentem et familiam in horum Nomothesia non exulaverit, utrique termino tamen aliam notionem adiungentes, gentis significatu omnes agnatos sibi invicem coniuctos, familiae vocabulo autem complexum personarum, ex quibus Romanorum domus constituit, complexi sunt mm). Graeci splendorem familiarum, Romani gentilitia iura in deferendis hereditatibus normae instar sibi praeposuerunt. Qua ex principiis diversitate innumera in ordine succedendi obveniunt discrimina. Ius Atticum primo loco filios, post eos demum filias ad paternam hereditatem vocans, hasce cum fratribus concurrentes, non

kk) Afferit Edm. Merillius Comment. ad Instit. T. de I. N. G. et C. §. 10. leges decemvirales ex Iudeorum, Graecorum et Aegyptiorum legibus compositas fuisse.

ll) Thomasius de naev. iurispr. Roman. Obs. II. §. 6. et Obs. III. Aliud docent de Montesquieu L. 27. Heinecius antiquit. Roman. L. III. T. I. §. 2. Schulting ad Vlpiani fragm. XXVI. §. 1.

mm) Alex. Sardus de morib. et ritib. gent. L. I. c. 24.

### C

non nisi cum dote dimisit. *Decemvirale* filios aliasque aequali iure admisit. *Illud*, sorore una cum sororis filio ad fratri germani hereditatem admissa, in caeterorum agnatorum bonis masculis tribuit preferentiam. *Hoc* filio sororis sororem anteposuit. *Illud* cognatos paternos eorumque defecū caeteros usque ad nepotes patruelium vocavit, a *Decemviris* place exclusos. Testandi facultas improlibus tantum *Graeci* concessa, *Romanis* indistincte liberrima fuit. Plura discrimina patria ex potestate emanant. Liberos, *na Romanis* non nisi consentientes emancipatos, *Graeci* inter vivos abdicarunt, ademto tamen occidendi iure, quo illi instrudi fuerunt.

Nec ex *Mosica lege*, eti per omnia non dissimili nn) originem sanctionis reperere par est. Haec enim, conservationem familiarium intendens, filium, tunc filiam, post eam fratres, deinde patruos et denique ex tribu aliquem heredem designat et singulis quinquaginta annis in familiam res redire iubet oo).

### S. IX.

<sup>e)</sup> communio  
sacrorum  
privatorum,

Nec, quamvis arctissimus *sacerdotum gentilitiorum* cum hereditate nexus perpetuatisque earum regio decemviralique iure pp) fuerit commendata, proxima successionis ratio ex iis repeti potest qq). Coniunctionis dissolutionem cesso in testamentarium heredem rr) quin in ipsis creditores et entores saepius facta declarat. Nec sacra hereditate plane comprehensa fuisse comprobat distinctio inter pecuniae sacrorumque hereditatem nusquam deleta, ita ut sacra portas bonis quam haecce illis, teste Cicerone (de Legi II, p.) adhaeserint. *Et* in sacerdotibus filio illa ooo omnia animalia res in*testamento* auditis cum eam sacerdos missit. S. X.

nn) Fuisus haec explicit *Everard. Otto in Praef. ad T. III. Thesaur.*

iur. Rom. c. 5. Nec obstant que *Rufinus Iudeus in Collati leg.* Rom, et Mos. T. 16, testam suam ab invidia liberatus, ad amicam earum conspirationem probandam protulit. Feliciori studio eam conatus est *Henr. Stephani Jur. civil. font. et rivi T. 16.*

oo) *Gregor. Tholofanus Syntagm. iur. univers. L. XLV. c. x. nr. 2.*

pp) *Woogius de hereditate sacr. privat. 9. 5.*

qq) Omneis eis succedendi rationem tribuit *Fr. Schenckberg de omnis succ. in caus. intest. c. 2—4.*

rr) *Fr. Hormannus Antiquit. Roman. L. II. c. 6.*

## §. X.

Verum potius et proximum successionis decemviralis in causa. *B. Quodnam*  
*fa intestati fundamentum in iure gentilitatis, aut si vocem largius verum? Ius*  
*acceperis, agnationis vel familiae situm esse, ex institutis Romano. Gentilitatis,*  
*rum gentilitatis et complexu iurium et obligationum gentibus Romanis*  
*propriarum, ex ordine succedendi et aliis ex indicis appareat ss)*  
*Nemo enim, familiae iurium expers, unquam ad bona intestati ad-*  
*missus, nec, qui ad ea provocare poterat, ab iis fuit exclusus, quod*  
*accusatius nunc perscrutari fas est.*

## §. XL.

Romulus iamiam suos inter cives separationem familiarum in- *Quod proba-*  
*stituisse, ex distributione agrorum asyli sui inter advenas facta pa-*  
*tit tt). Cuique familie vel ille vel posteri reges permulta dedere <sup>a) ex divisio-</sup>*  
*communia, nomen, tribum, militem uu) domicilium, ita ut in-<sup>ne agrorum</sup>*  
*ter agnatos fratrum instar habitos nuptias prohibuerint. Aequali-<sup>et sacris gen-</sup>*  
*tatis bonorum familiariumque constitutionis servandae gratia testan-*  
*di ritus multis difficultatibus adstrictus, norma, quod nemo pro*  
*parte testatus, pro parte intestatus decebat, proposita, postea et*  
*ius protimiseos vv) gentilibus fuit concessum. Plurimum vero ad*  
*nexus inter unius familie membra coarctandum fecere iura genti-*  
*litia circa nomen, ex quo gentilitatis probatio depromebatur, circa*  
*imagines ob incertam hancce interdum probationem ad siccum ar-*  
*cendum adhibitas, circa sacra anniversaria factitata, quibus iureiu-*  
*rando se obstringebant Quirites, circa nummos et sepulcra gentium*  
*ita iuri agnationis adscripta, ut violans extraneus gravissima poena*  
*coerceretur ww); circa ferias et funera communi gentilium studio*  
*celebrata, et denique circa familiarium penatum cultum, a quo*

C 2

gen-

ss) Suasores sententiae fuerunt *Ill. Böhmer de discriminé Suorum et*  
*Emancipatorum in succ. intest. intre novo sublato §. 2, Ill. Koch de*  
*Success. ab intest. civil. Sect. i. §. 5. in Schol.*

tt) *Dionys. Halicarn. L. II. C. 3.*

uu) *Randly Roman. history P. I. p. 148 fol.*

vv) *Sustulit Iustinianus in I. 14. C. de contr. emt. vendit.*

ww) *Erudite de hac disputat v. Nijen de sepulcro violato.*

quemlibet extraneum anxie prohibebant. *Numismata xx*) quibus gentile nomen inscriptum erat, *pacta et notae gentilitiae ex iure familiæ communia fuere*, et adeo usque iurum gentilitiorum processit religio, ut Pontificibus decisio controversiarum ad cultum sacrum spectantium simulque cura fuerit demandata, ne in adoptatum et, extirpata gente, in extraneos bona sine sacris transeant. Ne unquam vero perimantur, servi heredes instituti substitutionesque vulgares inventae sunt.

### §. XII.

Tot tantisque artificis coarctatae gentes Romanae iuribus et obligationibus fuerunt instructae alios inter populos plane ignotis, ita ut quaevis earum segregem remp. peculiaribus sacris, laribus, penatibus, institutis, moribus, insignibus gaudentem constituerit. De successione tamen multa a regibus plane omissa vel tam inconcinne erant sancita, ut omnia gentium consilia prospero eventu carent. Cui mendo tollendo successionique cum religionis civitatisque genere exacte conformandae industriam commodaverunt *Decemviri*. Caeterorum agnationis iurum imagine adducti, praecipuam eorum in legibus successoris ferendis rationem habuerunt, et legitima impuberum, prodigorum et furiosorum tutela eodem cursu, modo et forma delata *yy*) commodis gentilitiis et incommoda sapienter adstruxerunt.

### §. XIII.

*b) ex ordine succedendi.* Quod primum ad suos heredes pertinet, liberos naturales omnesque post filium masculino sexu naturaliter descendentes, *qua ex com-*

*xx)* Statum familiarum ex hisce eruit *Car. Patin de familiis Romanis in antiqu. numism. ab V. C. ad D. Auguſti temp. 1663. fol. Ez. Spanheim Orb. Roman. Diff. X. c. 6. Chr. Vlr. Gruppen de uxori Romana. C. 3. §. 23.*

*yy)* *Oliver. Textor de Succ. ab int. Summ. 3. Idcirco et verior videatur Chladenii tr. cit. c. 7. §. 3. sententia, quod et ad gentiles pertinuerit.*

communis stipitis germine ortos, familiae partem facere, quo<sup>cunque</sup> *et suorum*  
in populo obtinet. Adoptivi gentilitatem, nomen, imagines *et heredum.*  
notas adoptantis na<sup>c</sup>ti non familiae solum sed et gentis nativae iu-  
ribus excederunt, et legitimae tutelae munere, quin et ipsis, etsi  
plebeji fuerint, patricius iuribus instructi sunt. Filiae tori exper-  
tes, hereditatem paternam qua sui heredes occuparunt; simulac vero  
patris laribus egressae in mariti extranei manum convenerant, com-  
modum successionis nativa in gente exuerunt. Vxoris et nurus  
per confarreationem patris laribus eruptae admissio ad bona gentis  
mariti iuribus gentilitis exacte respondet. In hac enim filiae nep-  
tisque loco habitae, divini humanique iuris communicatione vfae  
sunt. Nuptiis vero per *usum* celebratis zz) merito a mariti et so-  
ceri hereditate prohibitae sunt, nisi usque dum annalis compleatur  
usu capio, eundem hisce nuptiis tribuens effectum, ac si adhibita fue-  
rit coemtio. Emancipatos et ex emancipatis nepotes ius gentilitis  
ideo exclusi, quia per emancipationem omnia suitatis iura, ae-  
que ac per capitulis deminutionem perierant. Ex hostibus reversi  
qua legis Corneliae fictione inter gentiles readmissi, et ex prima  
aut secunda mancipatione post mortem patrem manumissi ob iacturam  
iuris gentilitii tertiae mancipatione demum adiunctam successionis  
non fuere expertes. Patrem identitas personae, matrem non in  
manum translatam defectus iuris agnationis a filii hereditate arcuit.  
Proles ex filiabus generata non avi materni sed patris genti inserta  
agnationis et suitatis iure, ergo et successionis commido caruit.

#### §. XIV.

A suis heredibus, quasi accessionibus capitulis familiae follicite *β. agnato-*  
distinxerunt Romani *agnatos*, tanquam membra universitatis. Ori- *rum.*  
ginaria hoc in ordine utriusque sexus aequalitas non infirmat sen-  
tentiam, quippe ad extraneos nil ea fuit translatum. Cognati enim  
et hic exclusi, quorum matres familia iamiam egressae erant. E-  
mancipatos alia quidem quam quae a Suorum ordine ratio arcuit,  
nec tamen a iure gentilitatis aliena. Propria tempore mortis  
paternaefamilia instructi ad novas familias, quae exstincto patris  
C 3 do-

zz) Fr. Hostmannus de veteri ritu nuptiarum. C. 25.

domestico imperio nunc una ex domo ortae erant, non poterant referri. Facilius adhuc admisso eorum, quam nonnulli ex tutelae ratione deducunt, ex iure gentilitatis explicari potest. Adoptioni et in manum conventioni iisdem ex rationibus iidem hic effectus assignati, controversiarum delendarum causa gentitatis probatio iniuncta, et de gradu in gradum successio fuit constituta ad fisco viam obstruendam.

## §. XV.

γ. gentilium.

Cum denique agnatorum successione ad certum gradum non restricta, gentiles, quos, quia cognatos eorum nomine non inditatos suisse constat, recte agnatos remotores appellares, ad successionem vocarentur, nunquam extra gentem hereditas pervenit. Omnem fraudem repulsi Decemviri alpirantibus probationem de statu gentilitatis iniunxere, nulla tamen, ne litibus minuatur hereditas, proximitatis gradus habita ratione. Nemine vero hereditatem vi iuris familiae exigente, fiscum, ne bona praedae loco habeantur, admitti necesse fuit.

## §. XVI.

ε) alii ex  
indiciis.

Quibus ex ordine succedendi deductis argumentis amice responder *ius clientelare*, vi cuius omnia per manumissionem extra familiam translata huic redire et in agnatos et gentiles, in peregrinos vero non nisi iure applicationis delata sunt. Cognatorum exclusionem iuris familiae causa factam esse, laute confirmat *l. 4. C. Theod.* de legitim. hered. Si vero, inquit, *datem matris nouerint*, (sc. nepotes avi materni) maternis et paternis facultatibus oportet esse contentos, quos constat alienae iam familiae esse procreatos. Idem sere exprimit *l. 196 §. 1. D. de Verb. Sign.* Foeminarum liberos in familia earum non esse, docens, quia qui nascentur patris, non matris, familiam sequuntur. Monet diferte etiam *Cicero aaa*) item inter Marcellos et Claudio de hereditate ortam ex gentilitatis iure dijudicandam esse, cuius et in similibus plures alii bbb, fidem faciunt. Nec plane ab improviso ho-

mpt.

aaa) de Orator. L. I. C. 39. Idem in Topic. L. I. C. 16.

bbb) Suetonius in Iul. Caes. c. 5. Plinius in Panegyr. c. 37.

*monymia familie et hereditatis, et appellations illae patrisfamilias,  
matrisfamilias, filiusfamilias etc. ortae esse videntur.*

### §. XVII.

Exposita iam vera decemviralis sanctionis ratione, demon-  
strarri poterit, eandem, quamvis singulis pedentim perforata sue,  
rit constitutionibus, ad Iustiniasi tempora indelibatam perdurasse,

Prima post tabulam decemviralem lex successoria, cuius pars <sup>a)</sup> *sancita*  
saltem ad nos pervenit, a Voconio lata ita sancit: *Quis ab A. Po- lego Voconia.  
stumio Albino, Qu. Fulvio Flacco, censoribus census escit, virginem  
neve mulierem supra quadrantem bonorum suorum heredem instituat,  
plusve cuicunque leget quam ad heredem heredes pervenit ccc), quam  
plerique, discriminis a Prudentum auctoritate neglego, ad legitimam  
hereditatem extendunt.*

Cum legis tam quoad verba ddd), quam quoad mentem eee)  
nec non intuitu temporis fff) et auctoris ggg) in obscuritate legen-  
tis ea praevaluet explicatio, quae Romanae rei iunc temporis optime  
convenire videtur, ex iis quea de statu gentilitatis protulimus, ratio  
eius satis adposita ita eritur. Quam diu Romae bonorum aequa-  
litas et publica privataque opum mediocritas obtinuit, ita ut teste  
*Plauto* virgines praeter vestem fartum fere nihil marito at-

ccc) Ita verba sanctionis ex Cicerone in Verrem L. I. C. 43. p. 51. In  
de leg. Falcid, aliisque vetustatis monumentis eruerunt *Fr. Hormannus* L. I. Obs. C. 1. et *Ant. Auguſtinus* de Legibus T. Voconia.

ddd) Cicerone in Verrem L. III. c. 42. scribit: ne quis heredem virginem  
nem neve mulierem faceret. *Eius interpres Asconius*: Ne quis  
census heredem relinquaret filiam. *Livii Epit. L. 41*: Ne quis misso  
heredem relinquaret. *Asconio patrocinatur Auguſtinus* L. 301  
de civitate Dei.

eee) *CENSVM Wielingius* p. 189. quemcunque civem suffit credit,  
*Gronovius* vero L. 3. de pec. veter. c. 16. eos intelligit, qui amplio-  
re centum millibus sestertis nummo gaudebant. *Cui Menardus* ad  
Ciceronem in Verr. c. 41. addit, quod et nominis apud Censores  
professio requista fuerit.

fff) Secundum inter et tertium Panicum bellum latam esse constat,  
sed non quo anno.

ggg) In *Florentini Epit.* Libr. 41, legitur; a *Vohminio Saxe*.

*An perdura-  
verit hæc  
ratio?*

tulerint, decemviralis lex statui et formae reip. egregie convenit. Mox autem facultatibus et una cum civium opulentia matrimonii sumtibus auctis, duo in ea menda persentiscere Romani cooperunt, alterum liberrimam testandi facultatem aequalitati possessionum perniciosa, alterum discrimen illud nuptam inter innuptamque filiam. Ex eo enim, quod patre vivente filiae peculi expertes rarius maritum invenirent, eo autem mortuo, procorum agmen ad vetulas sed divites tamen advolaret, resp. numerosissimum civem exoptans maximum non potuit non capere detrimentum. Cui calamitati revertendae cives operam navantes, ad accelerandas puellarum nuptias, ante obitum suum nuptis dotes constituerunt (hhh). Roboravit morem secundarum nuptiarum odium et ex incipiente iamiam omnium vaga libidine divoritorum metus, cui utrique, dotis restituzione iuncta, praecavere sperarunt. Dotibus vero nunc inter vivos, nunc, commodiore testandi ritu invento, per testamenta in immensum auctis illustres sibi generos allesturi cum se ipsos spoliarent (iii), cum et foeminarum insolentia et luxus tot in se collatis opibus, praeципue receptitiam ob dotem in dies augesceret, cum ob accrescentem lasciviam extraneae mulieres, nativa testatoris gente postposita, opibus divitiisque cumularentur, cum Patricorum, ob connubia cum plebe permissa et democraticam reip. formam, familiarum splendorem tuendi studium, militiae caussa civitati haud inutile, prospero eventu plerumque careret; cum denique, heredibus pro nullo aut minimo lucro hereditatem repudiantibus, testamenta saepius destituerentur, communis consilio coniunctisque viribus opus erat ad tot tantaque mala imo a radice rescindenda. Luxui mulierum obviam ibat lex *Oppia*, *Furia*que testandi puritui. Sed inveterata pravitas validiora exigebat remedia. Mox *Voconius*, legandi facultate generaliter restricta, certaque, sin *Wielingio* fides haberi possit, dotum quantitate definita, mulierum ex testamentis hereditates arctioribus circumscriptis limitibus, et licet legitimam successiōnem ob iuris familiae autoritatem infringere non auderet, patriamen copiam dedit, filiam impune exheredandi. *Prudentes* deinde

im-

(hhh) *Polybius* in excerpt. Peiresc. de virt. et vitiis. p. 1427, 1460,  
edit. Gronovian.  
(iii) *Cicero* in Verrem. L. I. C. 44.

imperfectionem adhuc Voconii operam sentientes, legitimam foeminarum successionem etiam restringendam esse sunt arbitrati, nec tamen filiabus sororibusque sua commoda eripere ausi, non consanguineas tantum ab intestati hereditate arcuerunt. Testandi facultas vero lege *Falcidia et Julia Vicimaria* magis magisque fuit coactata.

Hocce rerum statu perpenso, haud ita ineptam cum *Perizonio* legem Voconiam existimaverim, et si legitimam successionem intactam reliquerit, cum posthumorum alienorum exemplum satis doceat, legitimum quendam esse posse heredem qui testamentarius rite non sit; parum valida e contrario nobis videtur fictio, foeminas tria per Secula a legitima hereditate exclusas nunc demum symmetriae causa a testamentaria prohibitas fuisse. Non enim sexus sed arrogantia et luxus mulieres successionis iure indignas reddidit. Quem ad nutriendum cum mediocres opes nil facerent, ab opulentis tantum hereditatibus kkk) et quidem directo relatis III) nec ab incensi successione prohibitae fuerunt. Quid inde ad intestati successionem?

Hac ademta, ordo civitatis inversus, iura gentilitia erupta fuisse. Nec, si legis ratio ita longe repetita foret, tam raro servata, tam parum grata, toties fideicommissis fuisse elusa.

Eos tamen, quibus nostra non arridet sententia, in coniecturas a *Perizonio* indigitatas discedere non absolute opus est. Amplectantur *Wielingii* hypothesis, quod dotibus stabilitis iam ante Voconium Prudentes legitimam foeminis ademerint successionem. Indulgent *Montesquieu*, Voconium simul de causa intestati sanctifice, cum merito ex Scriptoribus mmm) colligatur, plura legis capita existisse. Egregie omnia procederent, dummodo idoneam eorum nnn) explicationem invenerint, qui mox post legem Voco-

ni-

kkk) Dio L. 56 hic, nulla census ratione habita, simpliciter ampliorum centum millibus festertis nummum indicat. Ex Cicerone in Verrem. L. I. C. 43. alii concludunt, foeminas tantum ex ea ce-  
pisse, quantum ad heredem heredesve pervenerint.

lll) *Wieling* L. II. C. 22. Dissentit *Perizonius* de lege Voconia p. 140.  
mmm) Cicero de finib. honor. et malor. L. II. C. 17. et in Verrem  
L. I. C. 42. 43.

nnn) *Valerius Maximus* L. VII. c. 8. nr. 1. *Appianus* de bell. civil. L.  
IV. p. 599. *Quintilianus* Instit. Orat. IX. 2.

niam mulieribus legitimae successionis vel querelae inofficiosi de-  
datae exempla afferunt, dummodo constitutiones de redditis consan-  
guineis successione protulerint fidemque fecerint, quomodo foemi-  
nae omnis peculii expertes in luxu et insolentia potuerint perseve-  
rare. Quae quidem omnia etiam ex decemvirali lege aequalem utri-  
usque sexus ad hereditates gentilium admissionem laute confirmant.

Nisi commodius ita legis Voconiae ratio explicaretur, spreta  
Asconii autoritate ad eam configuram conieaturam, quod ad *extra-*  
*neas* solum nec ab intestato succedendi iure munita tota sanctio  
spectaverit, tum quia filiae praeteritae ius ad crescendi fuit, tum  
quia Liviana et Flori Epitome non nisi mulieris mentionem faciunt.  
Fieri enim potuit, *Voconium*, legitimis heredibus ob id quod testa-  
mentaria institutione non egabant plane silentio praeteritis, eas  
tantum hic indicasse, quae ex testamento solo hereditatem capere  
poterant. Cui accedit brevitas priscarum legum crebriorque ellip-  
sum ususooo) qui ab omni superstitorum verborum copia legislato-  
res longe alienos tunc temporis fuisse probat.

b) autoritate  
prudentium.

Prudentibus ergo primam legitimae successionis mulierum co-  
arctationem rite adscribimus, qua tamen sola veterem succedendi  
rationem non infractam esse facile perspicitur. Nemo enim iuris  
gentilitatis expers admissus, sed quaedam tantum personae huc us-  
que vi eius admissae, fictione adhibita acsi familae partem non fa-  
cerent, fuerunt exclusae.

et omnis SCris  
Tertulliano  
et Orphitano.

Intolerabile damnum iuri gentilitatis illatum esse SCris Tertul-  
liano et Orphitano, quorum illud matrem ex trium liberorum iure  
ad liberorum bona, hocce liberos ad illius hereditatem vocavit, ple-  
rique arbitrantur. Sed re penitulatijs trutinata haud ita multum  
hische iuri veteri derogatum est. Quia enim ob intercedentem sa-  
penumero liberorum defectum et ob praefarentiam liberis utriusque  
sexus naturalibus et adoptivis, uti et fratribus et patri filii vel filiae  
emancipatae concessam Tertulliani SCri rarissime ratio haberi pote-  
rat, magis polypaediae praemium ob foedam morum scabiem ma-

ooo) Petr, de Toullieu de anaclapodotis in iure occurrentibus.

xime necessarium, quam legitima matris successio constituebatur. Nec iūris antiqui vestigia funditus erant extincta, cuius ad normam hereditas a matre non occupata proximo agnato deferebatur. Cum etiam *Orphitianum* id tantum efficeret, ut in manum conventionem ad mutuam matrem inter et liberos successionem hactenus requisita non amplius exigetur, hisce ex constitutionibus decemvirali sanctioni viz quoad singula eius capita, multo minus in totum, dergantibus, novum fundamentum deduci non potest.

### §. XIX.

Testandi facultate foeminarumque successione coarctata, iūris <sup>d)</sup> post Prae-  
ribus ergo gentilitis et in manum conventione sere neglectis, san-  
toria <sup>Educa-</sup>  
tionem successoriam sua ex parte sublevare contenderunt *Praetores*. <sup>ta.</sup>  
Non quidem rationem eius eversuri sed, artificio novi verbi adsumto,  
antiquas leges praesenti rerum statui accommodaturi, de indeci-  
sis quaestionibus novas leges fancivere, decisas ex aequitate inter-  
pretati sunt. Emancipatos, cognatos sextum intra gradum consti-  
tutos, agnatos capite minutos, coniugem eis non conventam, iūre  
decemvirali tamen firmato, vocaverunt, et ne unquam fisco he-  
reditas cedat, successionem gradualem et ius ad crescendi adhibue-  
runt. Liceat iūris antiqui asperitates Edicis eorum quodammodo  
declinatae et ad aequitatis normam revocatae, principiaque ex civi-  
li familiarium aestimatione repetita naturae magis fuerint accommo-  
data, tantum tamen abest, ut funditus illud tollere valuerint, ut po-  
tius eius confirmandi gratia honorum possessionem polliciti, ius sui-  
tatis intactum reliquerint. Ob restringam magistratum directo con-  
tra statum formamque reip. quidquam fanciendi potestatem, edicis  
suis honorarii iūris nomen indiderunt; unde et civiles heredes eo-  
rum auxilio non indigere, praetorii vero non nisi honorum pos-  
sessione admitti nec ipso iure hereditatem nancisci, dicebantur.  
Omnia singentes, ipsas fictitiā actiones honorum possessoribus de-  
derunt. Nec cognatorum admisso, ad quos ob agnitorum genti-  
liumque praeferentiam rarissime hereditas pervenit, multum ad agna-  
tionis iura turbanda fecit. Nimium vulgo Praetorum aequitati tri-  
buitur. Iniqua certe emancipatorum prae natis ex filia eminentia  
agnitorumque decimum ultra gradum, ut cognatorum ultra sextum,

exclusio; durum sane, cognatum inferioris gradus quam in quod agnatus superest constitutus erat, omni exclusa agnatione, hereditatem nancisci ppp). Ergo et hoc respectu Praetorum cum Iustinianea legislatione non procedit aquiparatio.

### §. XX.

e) post constitutiones principum,

Ex antecessoribus Iustiniani ii qui religioni gentili addicti erant, a Christianis diversa in legibus ferendis secuti sunt principia. Illi vetera iura plerumque firmarunt. Quod vicesima hereditatum sublevandae aerarii inopiae et alendi militis caussa qqq) fisco addicta, cui ne gentiles quidem obnoxii fuere rrr), quodadem in Suis temporis mortis ratio et sororis consanguineae praे fratribus filio admisso quod haecce similiaque ad leges priscas additamenta, generalibus nunquam de veteri iure immutando emissis constitutionibus, rationem eius non infregerint, facile intelligitur. Minorem priscarum sanctionum fidem servarunt Christiani. Prout morum reip. litigantiumque conditionis exigit ratio, partim in corrigendis, partim in innovandis versati, pro diversitate finis diversas lanciverunt leges. Successione in sacra funditus deleta, non nisi pecuniae hereditas remansit; nepotibus ex filia pars avitae et matri ius liberorum non habenti pars maritalis hereditatis assignata est; post liberos fratres germani horumque defectu consanguinei vocati sunt. Quae quidem constitutiones singulorum tantum casuum normam inferentes, quantum a principiis pristinis aberrant pro exceptionibus, et quatenus praesumptae defundi voluntatis rationem habent, pro prodromis functionis Iustinianae reputandae sunt, cuius caussis eruendis secundam Sectionem dicavimus.

PPP) Oliv. Textor de success. ab int. Summ. I. §. 15.

qqq) Spanheim Orb. Rom. Ex. II. c. 4. p. 141.

rrr) Chladevius tr. cit. c. XIII. §. 8. Differunt, Spanheim l. cit. p. 205.

### SECTIO

## SECTIO SECUNDA

QVIBVS EX CAVSSIS FVNDAMENTVM SVCESSIO-  
NIS AB INTESTATO IVRE ROMANO ANTIQVO  
IMMVVTATVM SIT A IVRE IVSTINIANEO?

### §. XXI.

Qualesquantasque decem per secula turbas differentiae et de- <sup>Generalis</sup>  
terminationes a patriae potestatis, gentilitatisque nexus defumtae in <sup>comparatio-</sup>  
rep. Romana effecerint, quot inanibus ambagibus circumitionibus <sup>legislationis</sup>  
que veterem involuerint sucessionem cumuli edictorum et consti- <sup>antiquae cum</sup>  
tutionum decemvirali legi adiuncti, mire declamant coaevi Scrip- <sup>nova,</sup>  
tores. Inter varias mutationes agitata hereditas legitima, innovatione egebat secundum meliores rationes adornanda. Succurrit ei <sup>et</sup>  
Sacratissimus Princeps, eum succedendi ordinem determinans, quem <sup>et</sup>  
ipfa natura dictasse videtur, omnesque iuris antiqui ex privati com-  
modi ratione ortas varietates ad aequum et bonum revocans in unam  
simplicem determinatamque formam redigit. Vno, ut ita dicam,  
everriculo subtilitatibus eius eversis moleque civilium politicorum  
que sanctionum referata perpetuum ius quoddam constituit, nec le-  
vibus certe ad tantos labores fuscipendos caussis adducit. Cum  
iudicio enim legenda sunt, quae Procopius partium studio captus  
tradidit; nec maior iis fides habenda quae Alciatus L. IV. Dis-  
punct. c. 7. asseverat, Iustinianum nec iure nec publico commodo  
adductum sed ea mente ut omnia de suo nomine et nova dicantur  
prisca abrogassi praecepta <sup>sss).</sup>

### §. XXII.

Quam nobis exhibit celebratissima Novella, generalis succe- <sup>Principia no-</sup>  
dendi norma primum locum cognatis, voce largius accepta, assig- <sup>vae legisla-</sup>  
nat, quos doctores memoriae iuvandae gratia ad tres classes redu- <sup>tions et Causa-</sup>  
xerunt; secundum coniugi et tertium speciali ex causa, extraneis <sup>sae immuta-</sup>  
quibusdam tribuit. Vbicunque hic sexus discrimen solutum et <sup>tions.</sup>  
sublatus agnationis iurisque gentilitii, emancipationis et in manum

D 3

CON-

<sup>sss)</sup> Legendus est Eichelius in defens. Iustinian. contra Aleman, p. 6x,  
seqq. et Maestrius de Iustit. Roman. Dub, 2. 3.

conventionis effectus, ubicunque et mens determinatiorem aequo-remque successionis ordinem praecipiendi illucefcit. Causae quae legislatorem ad successionem denuo determinandam excitaverunt vel saltem excitare potuerunt, prout ad totum vel ad partes quid attulere, *universales* vel *particulares* recte dicuntur; quarum posteriores partim toti sanctioni intextas, partim quae speciali ex causa singulis eius constitutionibus ansam praebuerunt, iterum in *generales* et *speciales* dispescere licet.

### §. XXIII.

*I. universales*  
*I. mutatus*  
*verum status.* *Universalium* gravissima in *mutato rerum statu*, praincipue in extensa ditionis amplitudine ttt), cui democraticae leges non amplius congruebant, diversaque a Consulibus Imperatorum regendi norma merito collocatur. Mercatura et opificae Domini Quiritarii qualitatibus hucusque praepedita, nunc efflorescente Romano imperio excitata, non apud paucos opum coacervationem sed mediocres potius plurium desiderabant fortunas. Perpetua tutela liberae reip. tantum conveniebat; abrogata foeminas maribus exaequabat. Patria potestas Monarchis molesta, Patriciorum autoritas bellis et proscriptionibus fracta, mores post sedis migrationem ad orientales ritus compositi, mutatus militiae status, ob quem masculis media iurisprudentia faverat —. Inverso ita civitatis generi repugnabant priscae leges. Et mirum, quod sub Iustiniani antecessoribus, cessante iam ratione perduraverint. Singulis quidem legibus ad eius conatus illi multum praeparaverunt. Tentamina etiam generalis legislationis adiunt. *Iulium Caesarem* novum iuris sistema propositurum mors praevenit; *Hadriani* editio suo perpetuo legislatorem se praebentis non sufficit intentio. Caeteri vel ex debilitate personali a maiorum more abire non ausi, vel bellis et Senatus civilibus in causis indelibata autoritate uuu) inprimis autem tam egregiorum virorum, quorum auxilio Iustinianus instructus erat, defectu impediti fuerunt.

### §. XXIV.

ttt) Schubart de fatis jurispr. Rom. Ex. II. §. 42.

uuu) Valent. Foerster histor. iur. civil. L. III. C. I. §. 2.

## §. XXIV.

Permulum et *Christianorum* doctrina ad novam legislationem attulisse videtur. Omnis certe religio effectum in societatem producit, praeceps vero, quae veram perfectamque philosophiam continet, *Christianam*. Aequalitatem hominum promovens, dominorum in servos laevitiam, nec non ius vitae et necis extirpavit. Mores cultorum suorum efformans divertit licentiam coercuit et officia divina cum humanis arctissimo nexu coniungens, viduis et pupillis privilegia indulxit. Polygamiae resistens foeminarum libertatem promovit, annuisque et menstruis uxoribus expulsis, matrimonium coarctavit nuptiisque sacrae magis et religiosae quam civilis societatis formam indidit. Certam Iustiniano de divinis sententiam fuisse, iuramenti fides stabilita, graduum determinatio, legis Corneliae iurisque postliminii extinatio, privilegia testamentis ad pias causas impertita vvv) plusque alias sanctiones egregie declarant; quin adeo usque religiosis cura processit, ut ad *Christianorum* dogmata componenda intentus seculares causas fere neglexerit www). Expulit Christianismus sacra domestica simulque omnia, que iis inhaerebant, instituta superstitionis. Castitatem religiosamque vitam commendans, coelibatu ansem praebuit et duos in una carne esse docens, uxori- bus ius succedendi et si exiguum paravit. Patriae potestatis rigore diminuto emancipatorum numerum angens, ascendentibus proprio in ordine collocavit et ius repraesentationis a *Mose* (IL 31.) iamiam commendatum, graduumque computationis rationem ex *Num.* XXII. docuit.

## §. XXV.

Inter generales novae legislationis causas *interitus* status iuris. II. particulae gentilium primum locum optimo iure tenet, quem ad maturan- lares. dum communi quasi consilio permulta convenerunt. Expulit in I. generales. pri-

vvv) Minus accurate haec ad subsecutas aetates refert *Gandinitus* tr. cit. c. 35.

www) *Procopius* de bell. Goth. Pers. et Vandal. L. III. p. 187. Professa opera effectum religionis *Christianae* in iurispr. Romanam exposuit de Rhoer. Dissert. Fasic. 1. Groning. 1756. 8.

*A. extingitio primis gentilitatem, quam Caius xxx) suis temporibus iam in de-*  
*iuris gentili- suetudinem abiisse monet, luxuria et fastus perniciosissimus yyy),*  
*tatis. qui ex auri argenteique post Punico bello et a Graecis post Marii Syl-*  
*laeque tempora translati copia, postposita virtute morumque pro-*  
*bitate, ubi cunque in immensum proruperat. Non in fundis, ut*  
*olim, sed in mobilibus, gemmis praecipue et vestitu, dicitiae pone-*  
*bantur. Foedissima morum irruente perversitate adeo obruti cives,*  
*ut multae gentes levis notae macula laborantes a dignitatibus exclu-*  
*derentur, in facris gentilitii extinguedis fere certarunt, et mox*  
*omnem iuris gentilium, foci et aera deleverunt memoriam. Nova*  
*refugio eiusque cultus externus civitatem incessit. Turpissima iu-*  
*venum libido et cura legitimithori spreta patris nomen saepè tam incer-*  
*tum reddiderunt ut per foeminas familiae propagarentur; cui in-*  
*testina discordia accessit, exitum gentium vehementer festinans. Tot*  
*tantisque adversitatibus mox omnia familiarum agnationisque vin-*  
*cula dissoluta sunt zzz).*

Sed licet iam consulibus remp. tractantibus hasce angustias  
 persessa fuerit gentilitas, nondum tamen omnis decoxit. Sceptro  
 autem ad imperatores omnia prolibidine gerentes delato, honos eius  
 plane labefactatus est. Periculo, quod sibi ex gentilium autorita-  
 te immineret, praecognito, Caesares de flore eorum extinguedo  
 civiumque aequalitate maxime solliciti, per successorias leges sensim  
 ei pessime confulnerunt. Tribunal domesticum liberae tantu-  
 reip. conveniens delentes, articularem gentilium coniunctionem pro-  
 hibuerunt, veteri nominum ratione adeo immutata, ut natu mino-  
 res materno saepius nomine designarentur. Duplex potissimum causa  
 ad gentilitatem reprimendam eos adduxit, tum gentium praecipuis  
 dignitatibus investitarum autoritas facilissime plebem suas in partes di-  
 motura, tum, iure gentilitatis infraicto, frequentior fisci caduca ad  
 bona admisso. Modis civitatem amittendi idcirco auctis, peregrini  
 et milites ea donati, barbarae gentes in senatorum ordinem lectae

xxx) L. II. Inst. T. 8. §. 6.

yyy) Ioa. Meursius de luxu Romanorum.

zzz) Exc. Meiners Geschichte des Verfalls der Sitten und der Staats-  
 verfassung der Römer. §. 12. p. 122. und §. 23. p. 238. seqq.

aaaa) Pausanias L. VIII. p. 526.

*et civitatis iura toto in orbe Romano promiscua redditia sunt, eo tantum veteres inter et novos cives discrimine servato, ut illi semper, hi vero non nisi speciali ex indulgentia agnatorum hereditates capesserint aaaa).* Sub *Theodosio* conubia cum barbaris permitta, ius patriae potestatis et testamentificationis provincialibus cum Romanis commune datum, nec amplius in poenis, infingendis distinctio fuit admissa. Iustinianus deoque omnibus quocunque modo manumissis et libertis civitate concessa, peregrinisque honorum et magistratum iure commisso, provincialibus etiam ad munia et collegia adscitis, omne gentilitatis Romanae discrimen plane intervertit. Cui ergo gentilitia iura infringendi studio agnatorum cum cognatis, pri-mogenitorum cum postgenitis exaequo peculiormque introducio merito adscribuntur.

### §. XXVI.

Totalem porro *priscarum* *sanczionum* abolitionem exigebant B. *Subtilitas veteris successionis*. innumera, quae ius inerant, *incommoda*, subtilissimaque mysteria. Discrimen Suos inter et emancipatos, cognatos inter et agnatos ob-tinens, in primis vero iuris incertitudo consuicioque ex variis per Se-natum, plebem, Praetores, Principes eo crebrius factis immutatio-nibus, quo libentius quisque antecessoris leges immitare contendit, miserrimum tunc temporis iuris prudentiae statum reddidit bbbb). Hisce variationibus tribuendum, quod consanguinei de civili, uterini et pater de Praetorio iure, mater denique per Orphitanum SCtum admitterentur. Emancipati iure decemvirali pro extraneis reputa-ti, a benigno Praetore sub lege bonorum possessionis admissi, No-vellarum constitutione ac sui heredes ad patris hereditatem vocati sunt, ea tamen disputatione non sublata, utrum absolute, an in qui-busdam tantum iis similes sint. Ortus inde ICtorum dissensus, varias eos in sectas distrahens, cuius longiore ex perdurazione Themidi gravissimum imminebat periculum. In hereditatibus adeundis vel petendis innumera adhibebant artificia tantaque successoriarum le-gum sine iudicio consarcinatarum multitudine civitas laborabat, ut,

cum

bbbb) *Thomassus* tr. cit. L. I. C. IX. Naev. 8. et L. II. c. 2. Naev. 21.

E

cum eas perlegere discrepantesque opiniones conciliare vix homini datum esset, semper de hereditate capessenda innumeræ in foro comprehendenter controversiae.

Calamitatem ex legum cumulo profluentem impleverunt earum anfractus, ambages perplexaeque disputationes. Quoad descendentes nepos cum avunculo ad successionem non admittebatur nisi cum diminutione tertiae partis. Ratione patris subtile Decemvirorum ex iure gentilitatis discriminem, utrum filius, cui succedebat, emancipatus, an in sacris constitutus erat; si illud, utrum pater simpliciter manumissor erat an fiduciarius. Iure praetorio decem ei præferebantur personæ. Matris successio multis etiam repagulis erat constricta. Prout vel ingenia vel libertina erat, trium vel quatuor liberorum ius sufficiebat ad filii capessendam hereditatem; præcibant filii, pater, sorores et fratres defuncti, avus naturalis, uno etiam in casu manumissor. Fratribus exstantibus usum fructum, alioquin proprietatem hereditatis, et quidem prout sorores dimidiari agnati que tertiam partem nanciscabantur cccc) nunc totius, nunc divisæ, capessebat. Dissonum denique, quod fratris filia patruo non succederet, licet ille ad eius hereditatem vocaretur; adhuc subtilius tamen, alterum alterius interdum fuisse agnatum, qui sūus non esset dddd).

### §. XXVII.

#### C. Aequitas naturalis.

Maximi denique, nisi fallor, momenti ratio in *aequitate naturali* præsumtaque defuncti dilectione collocanda est, cuius in Imperatoria constitutione præcipuum rationem habitam fuisse, ex mente legislatoris saepissime ab eo et administris eius declarata et ex ipso succedendi ordine facilissime perspicitur eeee). Observata natura-

li  
ccc) *Ioa. Fried. Dörrien de differentiis iuriis veteris et novi. De-*  
*cad. IV. Diff. I.*

ddd) *Hommel Oblectam. Feudal. Obs. 17. §. 2.*

eee) In exquirendis Iustinianæ successionis mendis ICti passim verificati sunt. Fratrum germanorum et ex iis natorum una cum ascendentibus admissionem reprobavit *Ill. Koch rr. cit. S. I. (C. I. §. 6. Schol.)*

li magis quam civili ratione, innumeras iuris veteris disputationes uno ictu resecavit eademque in immutando, quae Praetores in temperando, adoptavit principia. Reiecta omni agnationis et patriae potestatis ratione et solo iure sanguinis spectato agnatos cognatos que *promiscue et in infinitum fff*), affinibus exclusis, admisit, et eum qui testamenti facultate non usus est tacite proximis bona reliquise singens, gradu cognationis proximum tanquam defuncto carissimum vocavit. Vnde et hodie sororis neptes cum nepote fratri, avunculus magnus et materterea magna cum patruo magno et avita magna, filius avunculi et materterae cum patrui aut amitiae filio concurrunt. Ob commune parentum votum legemque quasi tacitam descendentes primo loco *in infinitum et, eman-*

E 2

*Schol.* Nepotum, si soli sunt, in stirpes successio displicet *Baldus in Annosat. ad Infl. L. III. T. I. §. Item si ex duabus et in Comm. ad N. CXXVIII. p. 2.* Ascendentium successionem plane civili ex ratione repetit *Ranchinus tr. cit. §. XI. nr. 6.* Male Iustinianum foeminarum cognatorumque admissione civili societati consuluisse contendit *Gaudentius tr. cit.* Sed fac, subtilitates quasdam hue vel illuc irrepisse, nonne in tanto opere facile ignoscendum? Fateor equidem, circa adoptionem per pristino agnationis effectu Iustinianum in sanctiones suas quid attulisse, nec semper, quod et *Perill. de Pufendorf P. II. Obs. 192.* recte monet, cognitorum familiaritatem amicitiamque adesse. Sed non est legislatoris, cuiusvis familiae nexus disquirere, quem potius generalem normam constitue oportet. Ex eo, quod Imperator ius successionis ad modos civiles acquirendi referat nec in *Tir. I. de I. N. G. et C. eius mentionem faciat, parum valida dubia adferat Vasquis Illustr. Quæsition. P. I. L. 3. C. 100 nr. 2., immemor ibi magis exempla quam systema proponi.*

*ffff) Ex §. ult. I. de Success. cognat. et ex eo quod ultra decimum gradum rerum natura vitam humanam non confondere permittat, restrictionem hic admittunt Matth. Matthesyllanus de Success. ab int. art. 3. §. 30. et Nicol. ab Waldis de S. ab Int. P. III. c. 13. Magis idoneam dissentendi rationem ex hominum propagatione non impedienda Vasquis de Success. resolutione c. 2. §. 13. nr. 3., et ex sanguinis iure Cinus Pistoriensis de Suc. ab Int. Sumini. I. §. 7. afferrunt. Nibilominus vero generalitatem legis firmo talo stare, recte defendit Stryck de S. ab I. Diffl. 3. c. I. §. 29.*

cipatos Suis exaequans, gggg) indistincte ad utriusque parentis bona vocavit. Quia durum fuisse, eos illis destituere bonis, quorum spes parenti iam lege collata erat, nepotes patre mortuo in avi successione ascendentibus interposuit. Ob fortiorum civili nexum naturalem, difficilem adoptivos legitimis exaequandi modum invenit nec spuriis omnem successionem denegavit; contra naturam vero fictione abhorrens, ex adulterino coitu ortos legitimacionis beneficio exclusit. Ob maiorem legitimacionis per Principis rescriptum a natura discrepantiam consensum proximiorum exegit, ad ei eundem, quem subsequens matrimonium afferebat, effectum tribuendum. Deficientibus iis, quorum causa bona potissimum acquiruntur, iis, a quibus proxime veniunt quibusque inter mortales defunctus plurimum debet, gratiam referendam esse memor, ascendentem benigne admisit, non ad tritavum restricta successione, nec iure liberorum vel contractae fiduciae desiderato. Sexus discriminem sublato, materni paternique patrimonii non constituit differentiam, et ne bona ad remotorem redeant avum paternum matri postposuit. Quod ad collaterales absque Praetorum restrictione admissos pertinet, aequalitas naturalis haud immemor germanos meliore quam consanguineos loco habuit, nec tamen uterinos plane arcens, in eorum cum consanguineis concursu discrimen paterna inter et materna bona aequissimum constituit. Simul et originis bonorum rationem habens, peculiorum distinctionem non reprobandam admisit. Nefas certe existimaverim, omnia affectata ab Imperatore iura immutandi pruritus tribuere. Vbi naturae congruebat ius vetus intactum reliquit, ita ut hodie ex rectiore sententia soli duorum fratribus filii in capita, soli ascendentem in lineas, ob concursum cum fratribus autem in capita hereditatem dividant. Vxorem ob naturalis cognationis defectum legitimae exhortem ex Praetoris Edicto ad  
 gggg) Alciatus in parod. L. 3. C. 10. emancipatis ius succedendi ex iure Praetorio tantum tribuit. Rectius vero Ranchinus sr. cit. §. IV.  
 n. 3. nullam hic discrimen adeste docet, nisi quod Sui ipso iure,  
 Emancipati non nisi per actionem heredes existant. Quod rumpendi testamenti modum discrimen annotat Angelus Perusinus de  
 Sutate qu. X. ur. 8.

bona mariti vocari sinit, humanitateque adductius in casu paupertatis cognatis eam praeposuit. In graduum computatione summam etiam adhibuit aequitatem, hereditatem inter pari gradu discrepantes aequaliter distribui iubens. Pontifex enim, nuptiarum quae sine duobus contrahi nequeunt ratione habita, duos uno in gradu collocat; Imperator vero hereditatem spectans, quae de uno in alterum defertur, singulos in singulis gradus conficit. Canonica ergo computatio non aequitate Iustinianea antecellit, sed indole consanguinitatis tantum conformior est hhhh). Ultimo denique loco collegiorum quorumdam successionem et fisci occupationem, ea mente concessam ne bona defuncti praedae loco habeantur, tam arctis tam circumscriptis limitibus, ut non erupta sed omissa hereditate et ne hic quidem indistincte locum habeat. Quod ob cognatorum et coniugum praferentiam vix unquam eveniret, nisi ex difficulti interdum iuris sanguinis probatione. Huic in legitima deferenda hereditate tam stricte servato principio, quod nimis tacite defuncti voluntatis semper ratio fuerit habita, dispositiones de causa testati adaequate respondent. Dijudicatio sanae testatoris mentis ex exhereditatione vel praeteritorum testamento inserta, solertissima casuum quando haec legitime fiat praesciptio, legitimae relinquendae necessitas proximis cognatis imposta ne liberi in egestatem detrudantur, remotioribus vero ob vacillantem erga cognatos amorem de suo disponendi facultas integra relicta, sapientiae et aequitatis egregia sunt indicia.

Quantum, ut coronidis loco hoc addam, hacce sanctione utilitatis resp. princeps attulerit, quis est, qui dubitet? Fac, iuri naturae omnem successionem ignotam esse, quis, agnita semel inter vivos et mortis causa de suis disponendi facultate, aequiorem inveniet. Abest ille, quem haud ita vanum esse historia docet, metus super insidiis intestati vitae struendis, quia nunc eum, cuius bona capessendi aliquando spes est, mediocri fortuna utentes in vivis degere malumus, quam divites mortuum lugere.

### §. XXVIII.

hhhh) Anton. de Rosellis de S. ab I. §. 7. Displcit Iustinianea Wols.  
fio iur. natur. T. VII. §. 504.

## §. XXVIII.

z. *speciales.*

*Specialium immutationis Iustinianae caussarum primam in Theodore Imperatricis autoritate colloco, quae, cum tantam in legibus ferendis exercuerit potentiam, ut non unius sed duorum potestas adesse dicta fuerit (iii), id potissimum ratione successionis effecisse videtur, quod subtilitatibus priscarum legum abolitis nunc plus nimio sequiori sexui Imperator uxori faverit. Fortasse et Spurii, quodcumque iuris in successione datum est, muliebrium excessuum conniventiae debent. Tribui ei etiam possent immensa dotium iura, que media iurisprudentia ob exiguum tunc temporis matrimonii religionem maiori iure constituisset, sed rectius haecce, divortiorum licentiae, legitimorum matrimoniorum favori et crebriori agnitorum ob luxum coelibatumque defectui adscribuntur, quibus destitutae uxores miserimas ad angustias alioquin fuissent redactae.*

Haud ita probabiliter hoc pertinet, quod aulici blanditiis adhibitis *Tribonianus* Principis sui successioni in *Iustini Sen.* locum colorem quae siturus cognatos admirerit, cum iure adoptionis hoc ei iamiam contigerit. Ita et coniuci posset, se successionis *Iustino juniori* allevandae gratia eo adductum fuisse. Sed tam longe petitis argumentationibus, Spuriorum admissionis rationem ex eo etiam declarare liceret, quod ipse *Iustinianus*, ut in calce *Chronici Cassinensis* annotatur, spurius habuerit liberos, innumeraeque aliae istiusmodi rationes haud difficiles essent inventu.

iii) *Ioa. Zonaras* in Praef. ad historiam arcana Procopii p. XXII. Acute hoc exprimit *Montesquieu T. Grandeur et decadence des Romains* c. 20, p. 474. *verbis*; Theodore mit sans cesse dans les affaires les passions et les fantaisies de son sexe. Quod quodammodo ipse *Iustinianus* Nov. 8, C. I. agnoscit.

## Corrigenda.

- pag. 22, lin. 9. loc. *inditatos*, leg. *indigitatos*.
- pag. 23, not ggg. loc. *Volumnio*, leg. *Volumnio*.
- Pag. 26. Marg. ad §. XVIII. loc. *emisis*. leg. *emissis*.
- pag. 31, lin. 25. loc. *generales*, leg. *generales*;





**ULB Halle**  
007 670 753

3



W018



B.I.G.

Farbkarte #13



IOACHIMI SCHWARZKOPE  
DANNENBERGA - HANNOVERANI

COMMENTATIO

DE

# FVNDAMENTO SVCCESIONIS

AB INTESTATO

EX IVRE ROMANO  
ANTIQVO ET NOVO

QVAE  
IN CONCERTATIONE

CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGUSTAE

IV IVNII CICLOCCCLXXXV

IUDICE

ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE

PROXIME VICTRICI ACCESSIT.

*Amant alterna Camenae.*

GOETTINGAE

LITTERIS IOANN. HENR. SCHVLZII  
ACADEM. TYPogr.

